

sacrificio perficeret, quod omnia V. T. saecula perficere haud potuerant, Ebr. IX, 28. X, 10. & universam legem veterum cerimoniarum tolleret. Ephes. II, 14. 15. Et profecto Deo opus erat auctore tam memorabilis tamque egregii facinoris, quod Iudaeorum gens in custodiendis retinendisque maiorum institutis, & inprimis patria lege constantissima esse soleat; ut PHILO affirmare haud dubitaverit (7) Iudaeorum gentem, non unam sed mille, id si fieri posset, mortes subituram prius esse, quam concessuram, ut legi suae aliquid derogaretur. Quid quod IOSEPHVS (8) ex martyriis ac suppliciis Iudaeorum, quae pro lege ac cerimoniis suis invicta quadam constantia pertulerunt, argumentum colligat pro veritate Iudaicae religionis. Indequē PHILO magna confidentia Iudaicum cultum ac legem ἀσάλευτον pronunciat, ita enim illius verba fluunt: (9) τὰ δὲ γέγραμμένα νόμος βέβαια, ἁσάλευτα, ἀκράδαντα, καθάπερ σφραγῖσι φύσεως αὐτῆς σεσημασμένα, μένει παγίως ἀφ' ἧς ἡμέρας ἐγράφη μέχρι νῦν, καὶ πρὸς τὸν ἔπειτα πάντα διαμενεῖν ἐλπίς αὐτὰ αἰῶνα ὡςπερ ἀθάνατα ἕως ἂν ἥλιος καὶ σελήνη καὶ ὁ σύμπας ἕρανός τε καὶ κόσμος ᾗ. Eo minus itaque verbis PHILONIS de immani fervore ac studio Iudaicae gentis, quo in legem suam ferebatur, fidem derogare possumus, quo magis ex historia Christi constat, eum summum Iudaeorum odium in se ideo concitasse, quod abrogationem legis cerimoniarum docuerit, & eo usque furoris Iudaeos progressos esse, ut in ea Iesu doctrina argumentum quaererent, ex quo fluat, Christum dirissimo supplicio afficiendum esse Luc. XXIII, 5. quod

D 2 tamen

(7) PHILO *de legatione ad Caium*. Opp. p. 1022. (8) *adversus Apionem* lib. I. pag. m. 1037. (9) *de Vita Mosis* lib. II. pag. 656.